



Bibliographische Daten

Titel: Alexander de Villa Dei; De forma vivendi monachorum; Perikopen;
Novum Testamentum. - Nürnberg, STN, Cent. I, 81

Signatur: Cent. I, 81

Die Nutzung der Digitalisate von gemeinfreien Werken aus den Sammlungen der Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg ist gemäß den Bedingungen der [Creative-Commons-Lizenz Public Domain Mark 1.0](#) uneingeschränkt und kostenfrei erlaubt.

Im Sinne guter wissenschaftlicher Praxis wird gebeten, bei der Verwendung von durch die Stadtbibliothek im Bildungscampus überlassenen Digitalisaten stets die Quellenangabe in folgender Form zu verwenden: Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg, [Bestandssignatur + Blatt/Seite]

Im Interesse einer laufenden Dokumentation und der Information für Benutzerinnen und Benutzer erbittet die Stadtbibliothek die Überlassung von Belegexemplaren oder Sonderdrucken von Veröffentlichungen, die aus der Benutzung von Handschriften und anderen Medien in den historischen Sammlungen der Stadtbibliothek hervorgegangen sind. Sollte eine Abgabe nicht möglich sein, wird um Mitteilung der bibliographischen Daten der Publikation gebeten.

Datus est illi gladius magnus. Et
 cum aperuisset sigillum tertium: audiui
 tertium animal dicens: veni et vide.
 Et ecce equus niger: et qui sedebat
 super eum: habebat stateram in
 manu sua. Et audiui tamquam vocem
 in medio quatuor animalium: dicente.
 Milibus tritici denario: et tres
 balibres ordei denario: et vinum
 et oleum ne leseris. Et cum aperuisset
 sigillum quartum: audiui vocem quarti
 animalis dicentis: veni et vide.
 Et ecce equus pallidus: et qui sedebat
 super illum nomen illi mors: et infernum
 sequebatur eum. Et data est illi po-
 testas super quatuor partes terre.
 interficere gladio et fame. et morte
 bestias terre. Et cum aperuisset
 sigillum quintum: vidi subtus altare
 animas interfectorum propter verbum
 domini et propter testimonium quod habebant.
 et clamabant voce magna dicentes
 Usque quo domine sanctus et verus: non
 iudicabis et vindicabis sanguinem neminem
 de his qui habitant in terra. Et
 date sunt illis singule stole albe.
 et dictum est illis ut requiescerent
 tempus adhuc modicum donec impleantur
 conserui eorum et fratres eorum: qui
 interficiendi sunt sicut et illi. Et
 vidi cum aperuisset sigillum sextum:
 et ecce terremotus factus est magnus.
 et sol factus est niger tamquam sacculus
 calcianus: et luna tota facta est
 sicut sanguis: et stelle celi ceciderunt
 super terram sicut ficus mittit grossos
 suos cum a vento magno mouetur.
 Et celum recessit sicut liber involutus.
 et omnis mons et insula de locis
 suis mota sunt. Et reges terre et
 principes et tribuni et diuites et
 fortes et omnis seruus. et liber
 absconderunt se in speluncas et in
 petris montium: et dicunt montibus
 et petris. cadite super nos: et abscon-

Dite nos a facie sedentis super thronum:
 et ab ira agni: quoniam venit dies
 magnus ire ipsorum. Et quis po-
 terit stare. **VII.**

Post hec vidi quatuor angelos
 stantes super quatuor angulos
 terre: tenentes quatuor ventos terre.
 ne flarent super terram neque super
 mare: neque in ullam arborem. Et
 vidi alterum angelum ascendente ab
 ortu solis: habentem signum dei vici:
 et clamauit voce magna quatuor
 angelis. quibus datum est nocere
 mari et terre: dicens. Nolite
 nocere terre neque mari: neque arboribus.
 quoad usque signemus seruos dei nostri
 in frontibus eorum. Et audiui
 numerum signatorum: centum quadra-
 ginta quatuor milia signati: ex omni
 tribu filiorum israel. Ex tribu iuda:
 duodecim milia signati. Ex tribu
 ruben: duodecim milia signati.
 Ex tribu gad: duodecim milia signati.
 Ex tribu aser: duodecim milia signati.
 Ex tribu neptalim: duodecim milia signati.
 Ex tribu manasse: duodecim milia signati.
 Ex tribu symeon: duodecim milia signati.
 Ex tribu leui: duodecim milia signati.
 Ex tribu ysachar: duodecim milia signati.
 Ex tribu zabulon: duodecim milia signati.
 Ex tribu ioseph: duodecim milia signati.
 Ex tribu beniamin: duodecim milia signati.
 Post hec vidi turbam magnam.
 quam dinumerare nemo poterat:
 ex omnibus gentibus et tribubus et
 populis et linguis: stantes ante thronum
 et in conspectu agni. amicti stolis
 albis: et palme in manibus eorum.
 Et clamabant voce magna: dicentes.
 Salus deo nostro qui sedet super thronum.
 et agni. Et omnes angeli stabant
 in circuitu throni et seniorum: et quatuor
 animalium. et ceciderunt in conspectu
 throni in facies suas: et adorauerunt
 deum: dicentes amen. Benedictio
 et claritas: et sapientia et gratia.